

Ann. III.

Num. XVI.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem  
*ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA*

**Subnotatio fieri potest:**

**IN ITALIA**

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

**IN ANGLIA**

Apud BURNS AND OATES

LONDON W. — 28, Orchard Street.

**IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.**

Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.

NEW YORK, 148 w 95th St.

**IN CANADA**

ET NEWFOUNDLAND

NEW YORK (U. S. Americ.), 148 w 95th St.

**IN BELGICA**

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

**LUGDUNI**

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

Rue Victor Hugo, 5

**IN GALLIA**

LUTETIAE PARISIORUM

LIBRAIRIE VIC ET AMAT

Rue Cassette, II.

**INSULIS (LILLE)**

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

Rue de Metz, 41.

**IN HUNGARIA**

Apud

C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE

BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

**RERUM INDEX**

MARGARITAE ITALORUM REGINAE IN NECE HUMBERTI CONIUGIS .....	....	Vox Urbis.
HUMBERTUS I E DOMO SABAUDIA .....	....	Forfex.
DE TUENDA LATINITATE .....	....	H. D. V. Pieralice.
DE DISCIPLINA "SOCIOLOGICA," .....	....	P. Rossani.
DE SEDULIO POETA CHRISTIANO .....	....	I. Lemette.
PASSIO CHRISTI IN SCENIS ACTA AD OBERAMMERGAU .....	....	Laelius.
SOLARIS QUI DICITUR ICTUS .....	....	R. Spina.
EX BATAVIA — Feriae studiosorum Lugduni Batavorum habitae .....	....	L. P. Microvir.
GEOGRAPHIAE STUDIUM IN SCHOLIS .....	....	F. R.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE .....	....	P. Angelini.
QUAESITIS RESPONSIO — De una eademque apud omnes pronuntiatione latina .....	....	A. Sordet.
AMYGDALA .....	....	A. Bartoli.
ANNALES .....	....	Poplicola.
LIBRORUM RECENSIO .....	....	A. P. - I. F. - I. A.
AENIGMATA .....	....	A. E. De Druffel.

*In tertia operculi pagina:*

PER ORBEM .....	....	Viator.
VARIA: Ioci ex historiis .....	....	P. d. V.
SOCIIS MONITUM .....	....	A secretis.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCCC

## COMMENTARI "VOX URBIS", INDICES SINGULI

### VII num. ann. III.

Christianae antiquitatis doctorum Urbanus conventus - *Vox Urbis*.  
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.  
Ex Gallia - Ludovici Noni carcer ad Mansourah - MONTELUCCIO.  
Carmen natalicium - A. BARTOLI.  
De perpetuo in Scandinavis regionibus die - A. VIEILLOT.  
Puerorum lusus verno tempore Pompeiis - LAELIUS.  
De rhedis electride actis - ROLANDUS.  
Quid inter piscem et kal. Aprilis? - P. ALEXIS.  
Lollius sive de proiecta latinitate - II. - P. ANGELINI.  
Idiotarum institutio - R. SPINA.  
Communia vitae - De priscis et hodiernis edulii - H. D. V. PIERALICE.  
Quaesitis responsio - De latini eloquii pronuntiatione - D. MACRAE - I. TASSET.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Aenigmata - FR. X. REUSS.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Melliae fodinae* - P. d. V. — *Ioci* - I. SOLA.  
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

### VIII num. ann. III.

Christianae antiquitatis doctorum urbanus conventus (xv-vii kal. Maias M DCCC) - G. P.  
De Iuvenco poeta christiano - I. LEMETTE.  
Nuperime circa « stelam » in Romano Foro effossa - ROMANUS.  
Vita functi viri clarijores - I. F.  
Ioannes Baptista de Rossi - A. COSTAGGINI.  
Fossanova abbatia - H. D. V. PIERALICE.  
De Horatii Marucchi opere cui titulus « Éléments d'archéologie chrétienne » - F. RAMORINO.  
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
« Dominica palmarum » - F. C.  
Christo Redemptori regi saeculorum triumphanti - FR. X. REUSS.  
De torpedinariis navibus luce actis - HERSIUS.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Sociis monitum - *Vox Urbis*.  
Aenigmata - DIGAMMA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Nonnulla de Anglis* - P. d. V.

### IX num. ann. III.

Christianae antiquitatis cultoribus Romae congregatis salutatio - L. M. Card. PAROCCHI.  
Kalendis Maiis - De proletariis - I. TONIOLO.  
De manuum labore inter gentes tundo - P. ROSSANI.  
Ex Germania - De Borussa Scientiae Academia - P. ALT.  
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.  
Socii peculiari dono ornatus - *Vox Urbis*.  
Veterum navigia - A. COSTAGGINI.  
Alexandri Manzonii carmen inscriptum *Il Cinque Maggio* - M. RICCI.  
Textura electrica ac teletroscopium - M. LANI.  
Auditus et musicæ - R. SPINA.  
Polypi immanes - ALPHA.  
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
Communia vitae - Venatores et venatoria - H. D. V. PIERALICE.  
Christianae antiquitatis doctorum Urbanus habitus conventus - A. L.  
Perilustri viro equiti Nicolao Galdo condolecentis animi sensus ob amatissimi filii excessum - I. BROIA.  
Quaesitis responsio - De latini eloquii pronuntiatione - MICROVIR.  
Annales - POPLICOLA.  
Librorum recensio - P. A.  
Aenigmata - P. GARRONE.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Quid inter Napoleonem I et literam M. - Europearum in orbe usus linguarum - Psittaci preantes* - P. d. V.  
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

### X num. ann. III.

De popularibus itemque agrariis athenaeis - P. G.  
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.  
De stilo artis christianæ - Cultoribus christianarum antiquitatum convivium habentibus - B. MAGNI.

Notitiae litterarum et artium - Ad Tarentum inventa - T. PACI.  
Ad Mariam mense Maio volente pacis vota - I. SOLA.  
Rolandi fabula - I. ANTONELLI.  
Flora - H. P.  
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
Risus et hilaritas - R. SPINA.  
Communia vitae - De indumentis virorum - P. ALEXIS.  
Quaesitis responsio - De unica eademque recta apud omnes pronuntiatione latina - H. D. V. PIERALICE.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Aenigmata - A. E. DE DRUFEL.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Peracti saeculi utilitas, et gloria senescitibus - Novae virtutis arbitrus - Solaris lux in servitatem redacta est! - Ovum princeps - Singulare et mirabile* - P. d. V.

### XI num. ann. III.

De popularibus legislatorum comitiis - P. ROSSANI.  
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.  
De stela in Romano Foro effossa novae animadversiones - ROMANUS.  
In hodiernum « progressum » - FR. XAV. REUSS.  
De quadam transvaaliana poetria - T. PACI.  
Ex Americis - *Philoctetes* Sophoclea tragœdia in scenis acta - I. B.  
Tuscaniensi S. Petri aedes - A. COSTAGGINI.  
De quorundam moroso musicorum ingenio - HERSIUS.  
Vita functi viri clarijores - P. A.  
De labyrinthis - A. VIEILLOT.  
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
Communia vitae - De indumentis virorum - P. ALEXIS.  
Quaesitis responsio - De latini eloquii pronuntiatione - H. DOSWALD.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Aenigmata - TIRUNCULUS.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Singulare expurgiculum - Melodion - Ioci - P. d. V.*  
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

### XII num. ann. III.

Operariorum familiæ - P. ROSSANI.  
De certamine poetico Hoeufftiano - A. BARTOLI.  
De saltus Polonorum origine qui dicitur « mazur » - I. WABNER.  
Ex Gallia - De nova gallicæ linguae ortografia - MONTELUCCIO.  
« Tubercolosis » arcendae ratio - R. SPINA.  
Dantis Aligherii visus centenaria commemoratione - H. SALVADORI.  
Ex Dante Aligherio - *Inferi* - Carmen primum - I. BONAVENIA S. I.  
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
De secretis Sinensium sectis - A. COSTAGGINI.  
Communia vitae - Venatores et venatoria - H. D. V. PIERALICE.  
Peculare donum socio datum - *Vox Urbis*.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - P. A.  
Aenigmata - I. CASTELLI.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Finis orbis terrarum ingruitne an multis abbincannis incepit?* - *Electrofränum* - Ioci P. d. V.

### XIII num. ann. III.

Quæ xx saeculo facienda xix saeculum scholis tradiderit - SENIOR.  
Sinenses pugiles - A. COSTAGGINI.  
Thomas Ketteler - P. ALT.  
Rolandus adolescens - I. ANTONELLI.  
Ad solem, Quingentesimo recurrente anno ab academia Cracoviensi instituta carmen saeculare - I. WABNER.

« Seroterapia » apud veteres - G. P.  
Bonarrotii absis Florentiae - ALPHA.  
Romuli sepulcrum et Volcanal - ROMANUS.  
Gherardi « delle notti » tabula coenam referens - X.  
De auxilio naufragis ferendo - R. SPINA.  
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
Quomodo Berlioz musicis se dederit qui medicus prope est factus - LAELIUS.  
De modo et ratione educandi tauros ad cursum penes Hispanos - HERSIUS.  
Quaesitis responsio - De una eademque recta apud omnes pronuntiatione latina - H. D. V. PIERALICE.  
Quæstiones inter socios propositæ - De Henrici Sienkiewicz commenticia fabula quæ inscribitur: *Quo vadis?* - *Vox Urbis*.

Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - I. F.  
Aenigmata - F. PALATA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Sinensis orbis circumvallatio - Ambulatoriae aedes Iustitiae - Temporis per hebdomadas distributio* - Ioci - P. d. V.

### XIV num. ann. III.

Indictio litterarum certamini additi dies - *Vox Urbis*.  
De Europæ gentibus foedere iungendis - P. ROSSANI.  
De capillorum et barbae usu apud Romanos - A. BARTOLI.  
Ex Gallia - De omnibus rerum Expositionibus deque hodierna Parisiensi - A. VIEILLOT.  
De Sinae et Iaponia incolis - T. PACI.  
De saltus Polonorum origine qui dicitur « Mazur » - I. WABNER.  
Carmen puellare - Melodia popularis Polonorum sive « Mazur » - S. NOSKOWSKI.  
« Zingari » qui dicuntur - HERSIUS.  
Salvatoris Rosæ tabula Catilinae coniurationem referens - LAELIUS.  
Ioannes Gutenberg - A. COSTAGGINI.  
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.  
Sapientum inventa - M. LANI.  
Horae subsecivæ Ignes arte facti in monte Pincio - B. NELL.  
Ferdinando com. Capponio Pisanorum archiepiscopo ob eius recuper. e gravi morbo valetudinem an. MCM - I. BATTANIUS.  
Communia vitae - Propriae quibusdam quadrupedibus voces - H. D. V. PIERALICE.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Librorum recensio - I. F.  
Aenigmata - DIGAMMA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Manufacti lapides - Quam diu liecat caro somno volnibus* - Ioci - P. d. V.

### XV num. ann. III.

Futura militiae dominatio - SENIOR.  
De grammaticorum ac rhetorum officiis apud Romanos - I. IACHINO.  
De Henrici Sienkiewicz libro « Quo vadis? », inscripto - I. ANTONELLI.  
In Ioannem Baptistam N\*\*\* tecto nomine Rufum ephebei cuiusdam olim aluminum - LEO PP. XIII.  
Manicomia apud maiores - P. ALEXIS.  
Tuscaniensi aedes S. M. Maioris - A. C.  
Ex Gallia - De omnibus rerum Expositione Parisiensi - A. VIEILLOT.  
Sinenses portus - A. COSTAGGINI.  
Angelus (Rossorum fabella popularis) - N. FESTA.  
Communia vitae - De papilionibus ac de messe - H. D. V. PIERALICE.  
Annales - POPLICOLA.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.  
Aenigmata - DIGAMMA.

*In tertia operculi pagina:*

Per orbem - VIATOR.  
Varia: *Quid si celeriora hodiernis electride itinera?* - Ioci - P. d. V.  
Sociis monitum - A SECRETIS.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIIUM SUBNOTATIONIS:  
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italianam:  
Lib. 15. M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## MARGARITAE ITALORUM REGINAE IN NECE HUMBERTI CONIUGIS

**U**TINAM Tibi, miseranda Regina, ea verba offerre possemus, quae receptum altius animo valerent lenire vulnus, et aliqua saltem parte dolorem levare, qui pectore amantissimo haeret infixus! Neque enim vox indulget lamento, obstrictis dolore faucibus intercisa, neque lacrimarum profluvio siccos ardentisque dolore oculos madere patitur enorme infortunium. Occidit Rex, quem nemo esse regem, nisi beneficiis novit; occidit vir, nobilissima inter Italos propago stirpis, qui patriae columen et scutum stabat, qui, cum omnes maiorum suorum praferret virtutes, bonis maior, compar optimis habebatur. Caede peremptus est ex insidiis; nemo enim contra illum, si aequo marte pugnasset, facile potitus esset Victoria, neque abscessisset impunis. A sorte iustus occiditur, et in arbitrum clementissimum extrema poena convertitur, qua laesae maiestatis reos ipse plures bonus absolverat.

O siquid consolari Te possit, regia uxor — iam nunc non uxor, sed vidua desolata! — haec te consolentur! Obiit immeritus, obiit iustus, obiit prosequentibus eum fletu bonis omnibus, tota Italia, tota Europa, universo terrarum orbe in sicarium inter gemitus et lacrimas indignatione frementibus. Laureae corona, quam praelio invictus acceperat, pro patria pugnans, aureo regali diademati, quod vicennio et ultra tecum, Regina, gestaverat, pietatisque sua decoraverat gemmis, sive ad cadentes contagio populos accederet suos, perque nosocomia et vias, domosque, casasque morte pererratas versaretur ut angelus consolator atque auxiliator, sive subversis terraemotu regionibus adasset ope, hortatu, consilio, nutu, manibus, prope dicam, semimortuos inter ruinas, nuntantesque adhuc paries eruens, et vitae restituens, sive exsuperantibus ripas diluvio fluminibus, perque agros ac villicorum domicilia bacchantibus et ad exterminium saevientibus, ipse paterno ductus animo ad miserrima loca maturans ea omnia disponeret adstans, quae saluti, quae solamini, quae victui pauperibus essent, omnia ferens, omnia tolerans, quae vel robustissimis non ferenda et non toleranda videbantur, invictus ef-

fusus caelo imbris, interritus irruptione fluviorum, immotus periculosa et anticipi in conditione locorum, his inquam laureis, coronis, diadematibus novum sertum imposuit, martyrii sertum, quo cunctis praestare regibus videatur. Martyrem quippe facit non poena, sed causa. Ipse autem suprema obivit, si poenam quaeras; si causam postules, obivit ultima ex nefario nequissimorum odio in regiam potestatem, quae « a Deo est », « cui qui resistit, Dei ordinationi resistit ». Quam

quid hoc unum tibi restabat, ut, invicta vivens et fatis maior asperrimis, prorsus Regina in omnibus tuo populo videreris? Supereminens ingenio, moribus, consilio, pietate, forma, scientia, dignitate, genere, ingenuarum cultu artium, iam nunc fortitudine animi excelsa laudaris, qua minores Te fiant, siquaque tecum celeberrimae comparentur. Qui tuus fuit et est, aeternitatis regnum, progeniem, nomen gloriose sanguine consecravit; eadem praestas Tu moerore augustior inconsolabili, et fortitudine portentum ingens orbi terrarum.

Si quando haec ad Te nostra per venerint, scias Tecum nos ingemiscere aerumnis tuis, qui Te quasi aetatis nostrae miraculum intuemur. Uniquique hominum Deus credit peculiare aliquid, quo et immortalitatem habeat, et famam assequatur et gloriam vel inter homines sempiternam; omnes Tu praetergressa iamdiu virtutes, robur etiam virilis et inexpugnabilis animi nunc Tibi vindicas ut, viro digna tuo, digna maioribus, viros praeter ipsos fortissimos gradiaris.

VOX URBIS.



Humbertus I Italiae Rex.

cum gereret potestatem, genere a Deo datam, virtute meritam, iure adeptam, consensu populi confirmatam, quadruplici veluti consecratione munus gerebat, quo quum sanctissime fungetur, per summum scelus a parricida sublatum est.

Atque eas, Tu, Regi viro consors unanimis, capite gestabas coronas micans virtutibus, coruscans exemplis, omnium gentium ore laudata; novoque fulgore decorabas, Regina, iis admirabilia vitae tuae, quasi adamantes, interserens; et quaeque excedebas praeconia uxori, mater, et mulier, talis ab ipso virtutum humanarum Iudice praedicata, qui Te vitae morumque exemplar italicis propositum feminis nuncupavit. At omnibus diadematibus iis novum e spinis diadema superimponitur ob diuturnum, qui super etiam est adhuc delicatissimi cordis cruciatum. Num-

## HUMBERTUS I E DOMO SABAUDIA

**H**UMBERTUS, Rainerius, Carolus, Emmanuel-Ioannes, Eugenius-Maria pridie id. Martias an. MDCCXLIV natus est Augustae Taurinorum a Victorio Emanuele rege et Maria Adelaide, Austriae Arciducissa. Quae quidem suavis mulier, uxor fidelissima atque optima, mater sanctissima, teneros liberorum animos ipsa, quoad vixit, redamata instituit. Cum vero vita functa est XIII kal. Februarias an. MDCCCLV, Humbertus, orbitate ictus, totum militiae se dedit, atque decimum post annum, cum bello flagraret Italia, rei peritiam ostendit, Custozae primum, ac deinde ad Villafranca oppidum, suas copias quadrato agmine continens contra Ulanos, qui frustra eo potiri conati sunt. Ipse enim, nunquam hosti terga vertens deque vita strenue dimicans, verbis et exemplo milites ad victoriam ciens, murum quasi aeneum constituit intra suos et hostes, ut tandem versa retro horum fuerit acies. Neque in tanto discrimine caritatem corde depresso, et misericordia permotus militem quedam vulneribus confossum inter suos recipi iussit; quae procul dubio animum eius virtutem semper pietati sociantem declarant et exprimunt.

Pace inter Italos et Austros conciliata Venetiisque Italae additis, Humbertus magna omnium laetitia x kal. Maias an. MDCCCLXVIII matrimonio secum

iunxit Margaritam patrualem, feminam humanissimam, doctrina abundantem, religione insignem, a qua unicum habuit filium Victorium Emanuelem, Ianuarium, Ferdinandum, cui Neapolis Princeps, e loco ubi primam lucem aspergit, titulus est datus.

vi id. Februarias an. MDCCCLXXVIII regale solium concendit, patre morbo absunto; tunc temporis in tabula, quam populo edixit, id sibi unum proposuisse significavit, populi amorem mereri. Reapse, sive ad Inarimen insulam terrae motu eversam, vel Buscam aut Neapolim pestis lue urbes desertas et hominum clade stratas, quocumque immo civile infortunium vocaret, advolans, dolorem, luctum, fletum abstergens, opem ferens auxiliumque; sive egregie ac fortiter regio ex Italica constitutione munere fungens, se promissis mansisse luculenter ostendit. Atqui fati vis inexsuperabilis id scripserat, bonum hunc regem, utpote civium consensus iudicavit, nefario scelere, quo nunquam maximo, iri peremptum!

Fuit vir statura haud procera, habitu corporis potius opimo, graviore vultu, labii retorta late barba, nigris oculis acutisque, sed tamen humanitatis illius ac benevolentiae plenis, quae in pectore gestabat.

FORFEX.

#### DE TUENDA LATINITATE

**C**ORAM his, quae nuperrime acciderunt - nam adolescentuli nostri, supremo de latinitate in lyceis facto periculo, patriae vituperium insigne, sibi lamentabilem calamitatem intulerunt - cupiebam animi dolorem vultu tegere ac taciturnitate celare. Quae enim ceciderunt adversa, non ignavia, non ingenia fato infausto obcoecata et obtusa, non laboris expertes indoles meruerunt, sed rei adipiscendae iniqua ratio, sed non aptum iter, aut, si aptum velis, profecto nulla felicitate constratum, praeruptum, asperum comparant. In commentariis hisce nostris de re saepe diximus, saepe conquesti sumus; atque utinam, quae immutanda iudicabamus, manu valida ac tenaci consilio immutata fuissent! Cautorio et ferro, non balsamo et cataplasmate, ut aiunt, emortuae carnes et saeva curanda sunt ulcera! Res latina a fundamentis instauranda est in scholis italicis, ne illi esse desint Latini, qui, latino orti genere et latino in imperio degentes, maiorum suorum ne linguam quidem servare integrum possunt, quamvis toto terrarum orbe celeberrimam, et ceterarum gentium praeconio laudatam, eruditissimorumque virorum, temporibus nostris, omni industria quae sitam. Hoc autem, si testimonia reliqua defuerint, commentarii nostri testimonio longe lateque ostenditur atque probatur. Qui enim opinabamur brevis spatio, et vix Latinis gentibus nos concludi et legi, in ipso scribendi exordio omnibus populis ita innotuimus, ut - liceat indulgere veritati - nulla iam sit regio orbis terrarum, nullique emineant ubique sapientia viri, ad quos haec nostra non demittantur, demissa vero plausu non recipiantur, recepta gratulatoriis epistolis non repandantur.

Quorsum haec? Quia in latino sermone colendo magnum est eruditio cuivis lucrum, egregia dignitas, magna maiestas.

Quae cum ita sint, indignationem in eos contine non possum, qui, arrepta occasione ab infausto illo casu, unde orsus sum, de abolendo penitus apud nos Latinae linguae studio acerrime dimicant.

At ubinam haec (Tullii verbis utor) homines stultissimi dictitant? Nempe illo in populo qui lati-

narum gentium est et pater et caput!... Nos autem latini viri, viri fortes, omnibus excuti litteris, praeter nostras, et eruditis, omnibus, praeter latinas devotas diris, exterorum disciplinis imbuti, si quando filios nostros latina discere voluerimus, hosce ad Aethiopes et Sinenses mittimus, ut inde redeant barbara sarcina onerati, decori et onusti; sarcina, inquam, in barbaros quam nos culti amandavimus, ut a nobis abaset vel recordatio turpissimae aetatis nostrae, quae Pharsalicam, Aeneida ac Thebaidam protulit, nugasque Horatianas; quae Marci Tullii, Taciti, Flori, Liviique dedit ineptias; quae mapalia illa aegre extulit, quis infando scelere Pantheon, Colossei, Thermarumque nomina, Palatinarumque aedium et Capitolinearum impegnimus; quae crepundia illa civilis iuris et legum omnium, quibus bis millibus et ultra abhinc annis universus orbis regitur, ac temperatur, prodidit; quae sequentibus usque ad nostrum saeculis informia illa Vaticana, Versallensi, Casertiana, Mediolanensis, Lugdunensis, sexcentaque horrenda visu, praeter debita Giottio, Bonarrotio, Sanctio, Bramantio, Palladio, Canovae extulit; quae Augustinum, Thomam, Alligherium, Areostum, Tassum, Montium, Alfierium, Manzonium peperit. Omnes hi, bardi, fungi, buccones, et si quod peius et vilius omne, latino sermoni studuerunt, atque in eo, semetipsis fatentibus, repererunt

*Lo bello stile, che m'ha fatto onore.*

Quem versum nos exhibe emendabimus, ut morem geramus his novis, eorumque pareamus imperio, et conscribemus, frustra inter Manes frendente Alligherio,

*Lo turpe stile, che m'ha fatto scorno!*

Itali erimus donec Romani; Romanis enim Italia crevit ingens militiae domique, sapientia et artibus; Romani autem esse non possumus, nisi latine loquamur, aut saltem loqui sciamus, loquentes et scribentes huiusmodi intelligamus. Maiorum gloria posteris quasi lumen est, et ad aemulanda quaevis optima magnum incitamentum, et calcar. Haeredium vero cuiusvis populi sermo patrius, quem qui amiserit sciat, vel patriam amisisse, vel negavisse, nec ab eo, « qui minixerit in patrios cineres », se diversum. Quid ergo de iis iudicabimus, qui talia suadere conantur? Parricidasne dixerim, an vulpes, quae relicta in periclis cauda, coram vulpino populo de abscondenda cauda perorabant? Absit de parricidio quaestio; maneat illa tantummodo cum vulpe, orbata ornamento caudae, comparatio.

Sed iam videamus quo ratiocinio, de abroganda lingua latina a scholis, istiusmodi viri pugnant. Vitrea haec eorum sunt arma. Ad verbum verba interpretamur fide illa magna, quae nobis in more: « Experimentum huiusmodi adeundum iuvenibus fuit. Quid latine callerent, ostenderunt, interpretantes italicice virgiliana illa carmina in secundo Georgicon, ubi laudes Itiae felici musa describuntur, a versu 136 inclusive:

*Sed neque Medorum silvae, ditissima terra,  
ad versum 174:*

*Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,  
Magna virum.*

Ne unus quidem ex certantibus olim de scholis, quae humanarum litterarum, et rhetoricae dicebantur, ne unus quidem risum cohibere potuisset, si haec illi proposita fuissent interpretanda ut, quid valeret humeris latinis, praebetur; saepe enim et legerat et memoriae mandaverat, quinimo viventia vivus alto corde carmina illa suscepere, atque ab ipsa laude

patriae suaे insigni abripi quodammodo ad caelum se senserat. Nunc autem quamplurimis illa carmina visa sunt nova prorsus, et miserrima dolorosa que collectatio in interpretandis est orta, cum grammatica recordationes et data a lexicis verba praelarentur. Quo factum est ut partim mythologicarum ignorantia rerum, partim, sensu nullo redeunte e vocabulis piscatis hic illic hamo infelissimo, vox *satis* a nomine ad adverbium translata sit; tartareus horror et nullus ordo in interpretata meaverit; miserrima inde iuvenum clades » (1).

Quis, haec post verba, non crederet concludendum ex praemissis: « Ergo ad antiquam rationem redamus? Contra concluditur sophismate nescio an magis turpi quam improbo: « Age nunc, tempus adest, ut finis labori sit improbo, quo octo perpetuis annis in studium latini sermonis adolescentuli nostri incumbunt tristes ad ista venturi... Ut quid moramur adhuc in abolenda penitus tali disciplina inutili ac plena moeroris? »

Falleris ipse, sodes, atque alios decipis volens et sciens; non enim te adeo dialecticae insolentem credo, qui non video te sophismata pro argumento dare, fallacia insciis composito reti praetexere. Unicum, crede mihi, adstruendum, deducendum et fatendum patet: ad antiquam rationem, ad primum ritum moremque redeamus.

Triennium satis superque est ad possessionem latini sermonis, ad imbuendos illo ita pueros ut, non modo recte scribere et transcribere, sed et ornate scribere, et passim loqui possint. Brevibus, omnia, quae ad eum sunt, regulis praceptisque continentur. Cur moramur in longis, et propemodum dicam aeternis et infinitis? Quia paucorum in lucro est utilia sint. Humanum paucis vivit genus!

Monueram, praedixeram, ante denunciaveram; nunc iterum, iterumque moneo, dico, denuncio non expers latinitatis ego, non novus experimentis huiusmodi, exitu mihi probatis.

Si viri, quibus hoc muneris est, adesse patriae dignitati voluerint, praesto sum. Auribus eorum credam quod pericolosum sit, certe supervacaneum hic addere. Quae qui fecerit, magnum sibi, magnum nomini italicico, magnum maiestati gentis nostrae hic suis in incunabulis afferet incrementum.

H. DE VECCHI-PERALICE.

#### DE DISCIPLINA "SOCIOLOGICA"

**P**ERPAUCOS quidem inter opifices, eorum magistros, machinarios aliosque sexcentos huiusmodi ordinis esse semper reputavi, qui, etsi ingenua nobilitate manuum opera aucti, maximas nostri temporis metas, quae humiliorum condicionibus praeluent, eorumque vindicationes, fervido verborum mentisque aestu, recolentes, multa plane intellexerint, et varia, et scitu vastissima, saepe rudiorum menti impervia, quae tanti inceptus exagitata praesumunt. Plerique enim, dum nulla, vel nimis iejuna oeconomiae et moralis disciplinae rerumque publicarum notione sunt praeediti, una vix privilegiorum abolitione a « socialistis » proposita, statim animo incenduntur, et, quotidiana inopia urgente, in eorum insidias incident, absurdinae incepta desideria generalis aequalitatis prosequuntur.

Vir ille impius scelestusque Guyau, qui *Irréligion de l'avenir* librum conscripsit, impudenter iam adseruerat, praecipiūm occidentis saeculi notam

(1) Cir. Il Marzocco, florentinum comm. ann. V, num. 29 (22 luglio 1900).

do ad caelum  
s illa carmina  
a dolorosaque  
cum grammatica  
verba praelia-  
thologicarum  
o redeunte e  
licissimo, vox  
sit; tartareus  
meaverit; mi-

oncludendum  
ionem redea-  
nescio an magis  
pus adest, ut  
et eius annis in  
hostri incum-  
pramur adhuc  
utili ac plena

pis volens et  
e insolentem  
ro argumento  
etexere. Uni-  
endum et fa-  
ad priscum

possessionem  
eros ut, non  
ed et ornate  
ibus, omnia,  
continentur.  
m dicam ae-  
ucro est uti  
nunciaveram;  
enuncio non  
rimentis hu-

esse patriae  
eorum cre-  
tervacaneum  
i, magnum  
nostrae hic

ERALICE.

hanc esse debere, societatis disciplinam rite consti-  
tuendam, eiusque excellentiam praे reliquis omnibus  
studiis firmandam, praे metaphysice, aut morum,  
aut pulcritudinis, ipsaque religionum investigatione.

At res e diametro opposita evasit; hanc enim  
societatis humanae disciplinam, si solutam ab ad-  
finibus, abruptisque vinculis consideraveris, inanem  
fieri impotemque videbis, siquidem ipsis adeo neces-  
sariis artisque nexibus adligatur, ut in famulatum  
paene esse credas. Inter eas immo doctrinas quae  
sibi inserviunt, vel quae contra ipsi opes conferre di-  
cuntur, quaedam adnumerantur vel falsae, vel omnino  
ab eius finibus absonae, quarum praecipua evolutionis,  
quam nuncupant, philosophia. Profecto « socio-  
logia » - ita enim doctrinam hanc vocant - vivendi  
modos ac leges in humana societate perscrutatur,  
necnon formas quas vita hominum ingreditur, va-  
riorumque ordinum motus et communionem, prout  
Feuillée perspicue docuit, Glumphowiz autem enu-  
cleavit, obiectum pariter illi constituentes hominum  
consociationes, atque foedera, eorumque vicissi-  
tudes, mutuas relationes, augmenta, interitus. Nulla  
itaque necessitas urget, ut ab huiusmodi finibus exci-  
damus, societatisque eventus, aliis omnino admotis  
disciplinis, considereremus, quae nullo iuvamine prosint.

Nec fallimur sane, cum nonnisi alia de causa  
adhibitos tot conatus existimamus, quam ut nova  
disciplina cum religionis sacris dogmatibus ex ad-  
verso pugnans constituatur, eamque per fas et nefas,  
falsis ineptisque doctrinis omnibus moriente saeculo  
obortis, imbuī fautores contendant.

Neque enim humanae originis investigatio, vel  
liberi arbitrii disceptatio, alia de causa in quaestio-  
nen revocantur, quam ut haeretica interpretatione  
endentur. Quae itaque impia sectarum consilia  
quousque disciplina haec retinuerit, doctrinae gradum  
non attinget, nec coadunatis quidem ad rem coetus  
unquam ad finem perveniet. Iamque enim, ut adno-  
taverat optime Feuillée ipse, quem supra memoravimus,  
subjuctum ipsum suarum inquisitionum ac ra-  
tionem recenti disciplinae aptius inveniendum est, ne  
nimium ea per affines disciplinas pervagetur, ethnog-  
raphiam, sive populorum scientiam, anthropologiam,  
sive hominis notionem, aut historiam. Cavendum pariter  
ne, ut popularium sibi animos alliciat, omnem do-  
ctrinæ dignitatem amittat, vincula societatis relaxans  
potius ac dissolvens, quam reficiens atque corrigens.

Certum est enim huiusmodi doctrinæ investiga-  
tionem hodiernæ societatis maxime interesse, eique  
profuturum optime virum, qui novas veteresque  
doctrinas in unitate componens, non singulorum  
modo bonum, sed communitatatis provehat. Profutu-  
rum itidem quibusque in agendo viris, quoties hi ad  
suae gentis fata moderanda vel immutanda operam  
conferant, quam, si doctrinam illam bene perspectam  
habuerint, non insciam vel hebetem, sed prudentem,  
sed conscientiam adhibebunt, ab inepta patientia pariter  
quam a coeca violentia longe remotam.

Quapropter, cum ipsa religionis fides, et praxis  
ad societatis vices cohibendas dirigendasque pluri-  
mum polleant, hae sunt, ut cetera humana, investi-  
gandæ, veluti prævalidum morum atque publicæ  
honestatis frenum, potentissimumque praesidium.

Vana igitur ineptaque contendunt mendaces illi  
philosophi, qui in disciplinam huiusmodi incumben-  
tes, eam veluti novam religionem, Christi fidei op-  
positam, praedicant; quodsi - et Deus omen avertat -  
vel temporis punto possint efficere, tunc statim  
non modo suam doctrinam, sed et omnem hominum  
communitatem e fundamentis evertent.

P. ROSSANI.

## DE SEDULIO POETA CHRISTIANO

**N**on defuere qui et putarent et docerent christianam religionem, utpote severiore, minus  
poesi aptam esse. Quod quam falsum sit, quamque  
a vera cum religionis, tum ipsius poeseos notione  
alienum, nemo non videt.

Quid enim religione christiana aptius ad dele-  
ctandos movendosque animos, tum veritate pulcri-  
tineque dogmatum quibus mentes hominum illu-  
strat, atque in ipsam ipsius Dei formam quodammodo  
traducit; tum etiam magnitudine prorsusque  
mirabili rerum genere, quas, aut tamquam suea  
virtutis originem habuit ac fundamentum, aut sua  
illa virtute gessit ac gerendas suasit? Quod si quae-  
dam credenda facienda proponat, quae paulo se-  
veriora videantur, aut fortasse duriora, nonne haec  
illa ipsa, modo funditus noscantur, pulcritudinem  
praे se ferunt, non aliquam dico, sed maximam?  
Quamquam illa quidem pulcritudo sensu probari  
non potest, sed hoc certe nulla ratione ipsi officit.

Non ita tamen (si quidem ad numerum eorum  
attendas, qui ingenii vim in profanis, aut, proh pudor!,  
in vitiis decorandis consumperunt) multi sunt poetae,  
qui christianam religionem dignis versibus nobilita-  
runt, aut in his rebus sacris laudandis se magis  
exercuerunt, quae miranda præ ceteris essent. Cuius  
rei rationem duplē afferri posse puto. Aut enim  
illi poetae, ingenio licet admirabili, non ausi sunt  
tantam suis carminibus aggredi materiam, quippe se  
eam digne tractaturos desperabant; aut (verior haec  
fortasse et communior) non quomodo profanis, ita  
sacris rebus delectabantur atque ad canendum mo-  
vebantur.

Non erat haec profecto Sedulio mens. *Cum sua,*  
inquit ille (initio poematis cui titulus *Paschale opus*,  
de quo nonnulla verba facere nunc libet),

*Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ  
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu...  
Saeva nefandarum renovent contagia rerum...  
Cur ego Davidicis assuetus cantibus,...*  
*Clara salutiferi taceam miracula Christi?*  
*Cum possim manifesta loqui, Dominumque Tonantem  
Sensibus et toto delecter corde fateri...*

Sedulius - quem natione Scotum dicit Trithemius,  
at falso, si fidem addas doctissimo viro Remy Ceilier (1) - ob divinarum humanarumque litterarum  
scientiam commendatus, suis scriptis tunc Ecclesiam  
illustravit, cum Theodosius Magnus rerum Romana-  
rum potiebatur. Narrant quippe eum carmen, de  
quo supra, Theodosio, Arcadii patri, dedicasse. Illud  
tamen in publicum (qua de causa, nescio) non ante  
annum 494 prodiit, quo tempore ab Tursio Rufio  
Astero consule inventum inter plurimas Sedulii  
chartas, atque in ordinem redactum vulgari coepit.

Huius poematis materiam e versibus superius allatis  
habes. Videlicet Iesu Christi historiam ex Evangelio  
depromptam, eadem fere ratione ac Iuvencus, de quo  
iam in hoc commentario scripsi (2), at feliciore in-  
genio, ut mihi videtur, versibus exornare intendit.  
Hinc poema suum *Paschale* dixit, quod Eius qui  
verus est Agnus paschalis, laudes prosecutur.

Ea vero mente conscriptum est opus, ut homines,  
divinarum rerum magnitudine affecti, a putidis er-  
roribus figurantisque paganorum colendis ad fidem  
veram abducerentur, ipso poeta teste:

*Haec (3) mibi carmen erit; mentes huc vertite cuncti.  
Hanc constanter opem laesis adhibete medullis,*

(1) Hist. générale des auteurs sacrés, tom. VIII.

(2) Cfr. an. III, num. VIII.

(3) Christi maiestas.

*Quos letale malum, quos vanis dedita curis,  
Attica Cecropii serpit doctrina veneni,  
Sectantesque magis vitam spirantis odorem  
Legis, Athenaei paedorem linquite pagi... (1).*

Est autem poema - recentioribus saltem editionibus -  
quinque libris partitum, « quorum primus », dicam cum  
sancto Isidoro Hisp., *de Script. Eccles.* c. VII, « signa  
et virtutes Veteris Testamenti potentissime resonat »;  
secundus autem resert quae sunt acta a Christi na-  
tali ad Apostolorum vocationem; tertius et quartus  
miracula continent plurima a vino in aquam con-  
verso ad « ultimam Coenam »; quintus denique a  
Coena illa ad Christi triumphum in caelo pergit.

Cuius ordinis ratio naturalis prorsus appetet. At-  
vero illud animadversione dignum puto, quod histori-  
am Christi a Veteri Testamento exordiri poeta  
voluerit. Quos enim ad christianas partes pertrahere  
conabatur, hos prius Dei unitatem et omnipotentiam  
curabat edocere. Huic autem tradendae disciplinae  
Vetus Testamentum est optima via. Ait ipse Sedulius:

*Indicio est antiqua fides, et cana priorum.  
Testis origo Patrum, nullisque abolenda per aevum  
Temporibus, constant virtutum signa tuarum... (2).*

Hoc ipsi fuisse in scribendo consilium, ex huius  
primi libri conclusione constat, in qua eos vehe-  
menter exagit, qui falsos deos venerantur, qui  
verbis Apostoli utor - « mutaverunt gloriam incor-  
ruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis  
hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpen-  
tium » (3). Audi poetam:

*Heu miseri quivana colunt, qui corde sinistro  
Relligiosa sibi sculpunt simulacra, suumque  
Factorem fugiunt, et quae fecere verentur!  
Quis furor est? quae tanta animos dementia ludit,  
Ut volucrem, turpemque bovem, tortumque draconem,  
Semibominemque canem supplex homo pronus adoret? ...*

Et pergit huiusmodi errores dignis increpare versibus.

Nunc de ratione et arte, qua opus conscripsit,  
pauca dicamus.

Facta ènarrantur sobrie, at nunquam exiliter;  
quandoque mystica eorum significatio non ine-  
leganter aperitur. Sint exemplo versus in transitum  
maris Rubri (lib. I):

*Pervia divisi patuerunt caerulea ponti,  
In geminum revoluta latus, nudataque tellus  
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris  
Inrat in absentis pelagi mare, perque profundum  
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.  
Mutavit natura viam, mediumque per aequor  
Ingrediens populus, rude iam baptismata gerebat.  
Cui dux Christus erat; clamat nam lectio, multas  
Vox Domini super exstat aquas; vox denique verbum est;  
Verbum Christus adest, geminas qui consona legis  
Testamenta gerens, veterem patefecit abyssum,  
Ut doctrina sequens planis incederet arcis.*

Plures fortasse aequo versus protuli; at eo me putas  
fecisse ut habeas unde Sedulianam rationem prudens  
ipse iudices. Apud nostrum poetam stilus, si quae-  
dam loca excipias, perspicuitatem habet, modum et  
aequabilitatem. Nunquam fere videtur rebus aut sibi  
dissimilis; nunc lenis fluit dulcisque per facta sen-  
tentiasque evangelicas, nunc in motus assurgit paulo  
vehementiores, adeo ut omnino probem quod ab  
Isidoro prolatum modo in Sedulium attuli: « Signa  
Veteris Testimenti potentissime resonat », et aliud For-  
tunati: « Hinc quoque conspicui radiavit lingua Seduli ».

Liberet ad dicta confirmando versus expromere,  
ni timendum foret ne id, prae nimia copia, aegre

(1) Exordium poematis.

(2) Exordium poematis. Invocatio.

(3) Ad Rom. I, 23.

lectores ferant. Parcatur tamen si ab his citandis abstinere non possum, quibus cum granditate verborum numerorumque lenitate Beatam Christi Matrem salutat (lib. II):

*Salve, sancta Parens, enixa puerpera Regem  
Qui caelum terramque tenet per sacula, cuius  
Numen, et aeterno complectens omnia gyro  
Imperium sine fine manet, quae ventre beato  
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,  
Nec primam similem visa es nec habere sequentem;  
Sola sine exemplo placuisti semina Christo.*

Suavis equidem et affectu plena oratio, neque cuiquam, qui Beatae Virginis addictus sit, voluptatem non praebit.

Finem animadversionibus facio. Atque utinam Sedulius imitatores habeat plurimos, qui sui ingenii flammam divinis rebus meditandis canendisque entrant! Immensus patet campus, nec nimium trita via. Hic vires exerceant, hic in molestiis quaerant solatium, hic, si poeticam laudem venantur, conatus adhibeant, atque accendant felicius animos.

I. LEMETTE.

eius sermo versibus distinguatur more cantorum descriptis, qui media aetate floruerunt.

Has vero versiones aliam cum alia in Etalico monasterio Patres a Societate Iesu composuerunt, atque vulgarunt, etsi deinde, quoties iterata actio est, toties multa revisa, multa addita, dempta atque immutata fuerint.

Praecipuum revisionem operis tradunt a Joanne Aelbl sacerdote peractam, qui primus hominis animam cum Iesu colloquenter invexit. Saeculo autem XVIII Ferdinandus Rosner e Societate Iesu « exhibitionem » addidit, sive viventes, uti aiunt, tabulas ex Antiquo Testamento depromptas, itemque sex genitorum chorum, quem chorophus moderabatur.

Dubia et quaestiones, saeculo XVIII delabente, circa sacras huiusmodi actiones excitata, multa praecidi abrude ex postularunt, quoque anno 1811 et 1815 Ottmar Weiss, Etalii parochus, rem radicitus reformavit, Rocho Sedler oppidi ludimagistro adiuvante, qui musices concentus in volumine adnotavit. Fuit autem princeps Weissii consilium, ut Christi passionem per scenicas actiones exhibens, iuxta Evangelii dicta ad unguem faceret, tabulasque ex Vetere Testamento excerptas singulis praemitteret, quas genitorum chorus gestu et vocibus commentaretur. In sermone autem soluta oratio antiquis versibus suffecta est, atque huiusmodi revisio, etsi Deisenberger parochus nonnulla et ipse innovaverit, integra tamen vel hodie exhibetur.

Sunt autem in textu pulcherrima multa, sunt et mediocria itemque inepta, de quibus libelli innumeri disseruere. At immutationum eius historia, religionis pietatisque sensus, prouti in montanis illis populis diutissime vigeunt, perbelles comitatur, qui a decennio omnes incumbunt, maxima fide ac studio, ut sacrae actioni sese, moderantibus parochis, praeparent, sacrorumque librorum spiritu imbuant.

Theatrum immane quatuor millia spectantium multitudini patet. Scena, ad decimi octavi saeculi stilum exstructa, quinque in partes dividitur, quarum media, velario occlusa, cum circumstantibus componi brevi potest; sunt autem ad latera Pilati et Caiphae domus. Proscenium latissimum choro et multitudini sternitur; Alpum denique candidi vertices, nitidumque caelum, parietem ultimam scenae praebent.

Actione a nona usque hora ad decimam septimam producitur, vix mora unius horae ad meridiem intermissa, et quatuor in partes distinguitur, in decem et octo actus divisas, quibus et duplex prologus adiicitur. Prima ex ingressu Domini in Ierusalem usque ad capturam in Gethsemani, secunda usque ad examen coram Anna pontifice, tertia usque ad Christi mortem res complectitur, quarta a resurrectione ad ascensionem.

Laudaverunt multi quanto studio quanta diligentia Bavarorum rusticis suis personis gerendis intendant, qui iam sese existimare videntur haud quidem fideles tantum votum maiorum explentes, sed veluti electum quemdam populum inter incredula atque impia saeculi sceleris ad fidei missionem gerendam vocatum. Inde quicumque tum ex veteris, tum ex novi orbis regionibus ad Oberammergau hoc tempore advenerint, sive fideles sint, sive increduli, Passionis huiusmodi indelebilemem memoriam asservant.

LAELIUS.

### SOLARIS QUI DICITUR ICTUS

Q UONIAM his diebus in Sinis omnes mente versamur, aestasque summa impendet, non erit abs re de morbo hoc nonnulla afferre, cui Moussoir medicus recens in Tunquinia regione studuit, ac medicamina propositu.


Tropicorum gentes ictu solis necatae frequentius lugentur: nostrae contra, in miti aeris temperie plerumque cum vivant, nonnisi raro recoluntur. Attamen haec et nos videmus aliquando contingere, cum praecipue canicularibus diebus gravissimus imminent aestus, nullique zephyri aut aurae blandiuntur. Tunc qui sub dio operi manum

conferunt, vel citationibus vel obnoxii sunt, b inopinato mon amissa conscientia corrunt: arde palpitacione pul

Existimat ita turbatis ob nimirum, tetterimum proprius exsurgit gradibus ferventem gram sanguinis quos calefactum somno, aut aspergimendo condicione pendit atque udosis vaporato sudore adest morbi pericente, credendum, quippe in citamento esse.

Ictus autem ex dissita causa brantibus, quorum potius qui chimicant, quare nullum maxime flagravere hominem percuti oportet adeoque current, quod quod ad meridiem horam tantum esse videtur externus etiam augeat, eosdem ictus aut solis per

Syntomata scribuntur: maxima incerti, tardiores sudoris maxima rubescens vultus post sudor repetit susurrant aures, qui vulgo dicitur



### PASSIO CHRISTI IN SCENIS ACTA AD OBERAMMERGAU


TRANS Monachium, Bavariorum urbem caput, meridiem versus, trium horarum itinere ab urbis moenibus, Oberammergau oppidum prima Alpium iuga, in Amber fluminis valle, circumeunt. Incolae montani plerumque, moribus integerim, viribus praevalidi, bis milia numerum nondum attingunt; domus, quas inhabitant, humiles, complanato tecto, ingentibus heic vel illis saxis compresso, laetus, vel sacrarum imaginum, vel agrestium, coloribus renident. Lignea sculptilia oppidanis fere omnibus ars, qui cruces, sacras imagines, Rosarii granulos indesinenter, mira calliditate, effigient sedulaque patientia scalpunt. Chronicon exstat, tribus fere abhinc saeculis redactum, anno videlicet 1620, quo iam Oberammergau incolae, prouti arte scalpendi ligna peritissimi, magnis laudibus cumulantur. Quae quidem pietatis objecta, simplici atque ingenua arte effecta, mercatores in Austriam atque in Tirolenses deferunt, et, non sine lucro, venalia faciunt. Contigit inde rusticis diffusa laus; at corum fama minus late ferme insonisset, absque sacro *Passionis mysterio* (*Passionspiel*) quod ipsis in decennium solemne est, et his diebus agitur.

Rei antiquitas minus abest quam quis forte crediderit, origines contra notissimae sunt hisque praesertim diebus cuique compertae. Anno 1633 tetrica pestis lues Bavariam depopulabatur. Oberammergau oppidum, montibus circum occlusum, nullum adhuc morbi detrimentum expertum fuerat, neque extraneum ullum suis in finibus morari hac de causa tolerabat. Accidit autem, inopinato, ut die dedicationi oppidanis templi sacro (*Kermesse*) operarius quidam e finitimi gentibus, detorta via, sese in portas immiserit, ut seruis adesset. Vir autem morbi tabe corruptus, eam statim civibus communicavit, quorum brevi quatuor et viginti, dira morte confecti, occubuerunt. Tunc votum Deo universa rusticorum plebs votivit, ut flagellum a suis finibus arceret, sese filios nepotesque, in ultimum usque aevum, publicum ludum quotannis habituros, in finitimi bonum exemplum. Excepit benigne Deus supplicium preces, qui inde per quadraginta annos, ad annum usque 1680, promissa fidelitate exsolverunt.



Attamen, ob ingentem pecuniam quam ad solemnes ferias impendi opus erat, decimo quoque anno eas ha-



ANTONIUS LANG, qui Christi pitem agit.



Petrus Apostolus.

Ioannes Apostolus.  
Dramatis personae ad Oberammergau.

Iudas Iscariotes.

conferunt, vel deambulant diutius, ut puta, milites exercitationibus vel fictis praeliis vacantes, huic morbo maxime obnoxii sunt, brevibusque symptomatibus praeeuntibus, inopinato momento temporis, veluti fulgere percussi, amissa conscientia, sensibusque destituti, in convulsionem corrunt: ardet miserorum caput, cor autem vix leni palpitatione pulsat, dum paullatim morti cedit.

Existimat itaque Moussoiriuss nervorum centris perturbatis ob nimium sanguinis fervorem, quo irrigantur, tetterimum hoc exitium ori; morbus enim tunc proprie exsurgit, cum aestus quadraginta thermometri gradibus ferventior, diutius hominem verberans, integrum sanguinis undam calefacit. Sed chimici status, quos calefactum hoc modo corpus praebere potest, aut somno, aut asphyxia, vel alteri formae acclines a cuiusque hominis varia reactione simulque ab aëris udosa condicione pendent. Cum enim gravior imminet aer, atque udosis vaporibus satur, ita ut nequeat corpus evaporato sudore internum aestum emittere, tunc maius adest morbi periculum. Quamquam, Oberrier medico docente, credendum est operum laborem sive deambulationis, quippe maximum fervorem provocet, ad rem incitamento esse.

Ictus autem solis iisdem synthomatibus comitur, at ex dissita causa; ex solaribus enim radiis in caput vibrantibus, quorum non qui caloriferi aut luciferi sunt, sed potius qui chimici dicuntur, protinus ad exitum coniurant; quare nullimode querendum utrum aëris ambitus maxime flagraverit, an solis spicula nimio temporis spatio hominem percusserint. Hos itaque vehementissimos esse oportet adeoque potentes, ut momentaneam cladem procurent, quod quidem nonnisi in Tropicorum regionibus ad meridie horam contingere potest. Alias enim *zeqzæta* tantum esse videtur, quoque minori huiusmodi ictui externus etiam calor non accesserit, radiosque chimicos augeat, eosdem letales exitus provocans, quos calor ictus aut solis producere assueverunt.

Synthomata quae morbum praenunciant brevi describuntur: maxima nempe lassitudine, gradus inertes atque incerti, tardiores motus, sitis, capitum dolores, hebetudo, sudoris maxima copia, cordis palpitations inordinatae, rubescens vultus, arida lingua, vox paullatim rauca. Paulo post sudor repente deficit, cutis arida atque torrida fit, susurrant aures, rutilant ante oculos res; deinde ictus, qui vulgo dicitur, supervenit. Aegrotus corruit mente

destitutus, aut certe profundo sonno demersus, in eoque statu corporis calorem ex quadraginta gradibus usque ad quadraginta quatuor interdum admoto thermometro medici dimensi sunt. Quam vero de gravissima morbi specie agitur, haec insuper habentur: oculorum pupilla fixa atque rigida, motus omnes convulsi, vultus contractus; tunc animi demissio accedit, spiritus vix emititur, pallescit facies, os cruentam salivam respuit; denique infirmus moritur.

Remedia alia ad calorem subtrahendum spectant, vel admotis linteolis, frigida aqua, vel glacie, vel ferventibus potibus immixta, perfusis, vel omnibus corporis partibus aqua pariter inundatis; alia ad spiritum excitandum; ultimum est, nervorum centra, ex quibus calor paritur, aptis viribus cohibere.

R. SPINA.

cuus, novemque Musae, quarum personas gerebant bellulæ sub rutilante Batavorum coma puellæ.

Ceterum etiam hodie feriarum hanc consuetudinem studiosi laudabiliter retinuerunt, queis in lucem a principio prodiit Academia, et eas lustrales celebrant. Quod quidem lustrum cum superiore mense completeretur, me lubido rei visendae invasit; cumque petitam tesseram per COLLEGIVM · CIV · ACAD · LVGD · BAT · SVPREMVM comiter accepissem, me Lugdunum, amoena in urbem, ridente sole, arridentibus incolis, contuli. Magnus undique omnium ordinum concursus; siquidem decursio praenuntiata erat, quae cuiusdam principis Bavariae cum suis equitibus et copiis profectionem advorsus Frisiavones in bellum, anno Domini MCCCIIIC, repraesentaret. Et revera spectaculum elegantius nobis per vias et trivias et compita est exhibatum, quod spectabat ex ipso strato, e fenestris, e suggestibus apposite compositis immensa hominum multitudo. Sertorum autem, coronarum, florarum, stemmatum et vexillorum undique numerus paene infinitus. Noctu ubique lumina suspensa fonalibus ordine ductis, praecipue ad Rhenum, Phœbœ imitata sunt maximo omnium plausu; sub hac luce iterum pompa ducta est.

Fuerunt etiam caeremoniae, in turri vetustissima habitæ, Troianum agmen effingentes, a lectissimis iuvenibus actum, armis more medii, quod diei, aevi instructis, quibus, antequam in prælia irent, publice equus est donatus.

Non dicam de orationibus, de conviviis, de computationibus, per sex dies nulla intermissa mora prolati: haec autem e plebecula Batavis, ut gentium plerisque, consuetudo; cum exsultent, plus solito bibere et in saltus, clamores, discursiones, choros incomptos puellarum, seminarum, mulierum, viris arte commixtarum, prorumpere. Id insuper proprium atavorum sanguinis, qui, licet frigidior, ut vulgo dicunt, si latino aequipares, quandoque tamem exaestuant. Ceterum iam ab antiquo Tacitus de iisdem adnotavit: « Adversus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggestendo quantum concupiscunt, haud

## EX BATAVIA

### Feriae studiosorum Lugduni Batavorum habitæ.

**F**usis fugatisque Hispanis, post longam Lugduni Batavorum obsidionem, Wilhelmus cui « Taciturno » cognomen, ad perpetuam rei memoriam, non solum x dierum annuas indixit ferias omni exemptas vectigali, sed et liberalium studiorum « Academiam », quae deinceps ad tantam pervenit famam, inaestimabili erga suos cives beneficio, instituit. Quae x kal. Mart. anni MDLXXV solemniter « non sine dis » inaugura est.

Nempe, ut iis temporibus solitum, pompa publice est ducta, in qua anteibat « Sacra Scriptura » curru invecta, quam personati quatuor scriptores sancti Evangelii comitabantur; procedebat insuper Iustitia cum summis Romae iurisconsultis et Pallas, bonarum litterarum magistra, et Medicina, cum suis utriusque artis clarissimis, Hippocrate, Galeno ac ceteris non minoribus laude; et Platone, Aristotele, Vergilio, Cicerone. Immo cymbæ impositi veniebant Apollo Citharoedus et Neptunus, tridente atque barba conspi-

orum descriptis,

Ettalico mona-  
runt, atque vul-  
est, toties multa  
titata fuerint.  
a Ioanne Aelbi  
s animam cum  
m XVIII Ferdin-  
dionem addidit,  
quo Testamento  
m, quem chor-  
delabente, circa  
a praecidi abra-  
et 1815 Ottmar  
ormavit, Rocho  
i musices con-  
princeps Weissii  
enicas actiones  
m faceret, tabu-  
singulis pre-  
t vocibus com-  
oratio antiquis  
sio, etsi Deisen-  
vaverit, integra

ta, sunt et me-  
innumeris disse-  
tionis pietatisque  
atissime viguere,  
nes incumbunt,  
sese, moderan-  
librorum spiritu

stantium multi-  
eculi stilum ex-  
media, velario  
brevi potest;  
us. Proscenium  
Alpium denique  
item ultimam

septimam pro-  
em intermissa,  
et octo actus  
tur. Prima ex  
capturam in  
am Anna pon-  
complectitur,

que diligenter  
intendant, qui  
fideles tantum  
cum quendam  
ali sclerada ad  
nicum tum  
berammergau  
ive increduli,  
im asservant.

LAELIUS.

ICTUS

nte versamur,  
erit abs re-  
soir medicus  
licamina pro-  
quentius lu-  
ie plerumque  
haec et nos  
ne caniculari-  
que zephyri  
peri manum

minus facile vitiis quam armis vincentur» (1). Et Vergilius:

...noctem ludo ducunt, et pocula laeti  
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis (2).

Attamen, apud hodiernos Batavos, qui humani (et multi sunt), civilioribus civiliores se gerunt.

L. P. MICROVIR.

### GEOGRAPHIAE STUDIUM IN SCHOLIS

**L**UDI scholaeque plurimae, quae tum in Italia tum alibi videntur, geographiam sive terrarum formam peculiari disciplina docentes, eo prorsus trahite id curant, ut pueri ab huiusmodi studio potius avertantur, quam allicantur utiliter.

Sunt enim magistri - expertus dico - qui trilustribus pueris fluminum nomina longissima serie expromunt, ubi omnes aquarum totius orbis cursus descripti alias post aliud exhibentur, additis singularis urbium nominibus, quas flumina ipsa attingunt, eorumque longitudine numeris expressa. Quid inde? Tot nominibus, tot numeris adolescentes defatigati studium plane derelinquent. Item et huiusmodi disciplinae tractatus complurimi, quibus maxime docentes utuntur, aridissimi sunt, terrarum vel civitatum imaginibus aere cisis et coloribus distinctis carentes omnino, cum neque tabulae, quae ex partibus pendent, legi possint sive quod discipulorum ab oculis nimis longinquae, sive quod hoc illuc maculatae, vel tineis perforatae: quin etiam non raro accidit ut disciplinam hanc mira animorum concordia hinc magistri, inde discipuli simul spernant.

Novimus sane athenaea praecipue disciplinae huius rationem satis innovasse; non idem vero de inferioribus ludis praedicare licet. Athenaea steriles

(1) *Germ.* XXVIII.

(2) *Georg.* III, 379-380.

18]

### LOLLIUS

#### SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Treb. — Faxo hic asellus iure appellatur *Excelsior*, quemadmodum Scipioni contigit ut Africanus vocaretur. Nam,

*Si bodie hercle fustum cepero aut stimulum in manum,  
Testudineum istum illi ego grandibo gradum* (1).

Tu vero, Loll, ne cesses saluberrimis me praceptis gravibusque sententis quam iucundissime afficere.

Loll. — Pungunt apes ubicumque dulce non inventunt. Nihilominus malo desiderari a te prudentiam meam, quam si taceam benevolentiam.

Treb. — Commodo tibi excidit vox ista prudentiae, de qua Tullius: «temeritas est florentis actatis, prudentia senescens» (2).

Loll. — Trahis Hectora ad currum religatum Achilles. Geram enim tibi morem assumamque defensionem vetustatis. Tibi igitur assentiar antiquissima quaque optima.

Treb. — Ita fere, paucis exceptis.

Loll. — Igitur natu maximus quisque optimus idemque prudentissimus.

Treb. — Sic teneo; modo clausulam addas: *ceteris paribus*.

Loll. — Prudentior ergo Tartessiorum ille rex Arganthonius, qui octoginta regnavit annos, centum viginti vixit, quam Ὀχόπορος Achilles?

Treb. — Ceteris paribus ille debuit esse prudentior.

(1) PLAUT. *Aulul.* I, 1, 10. (2) *De Senect.* VI, 20.

nominum series expunxerunt, generales formas ad moverunt quibus hominum gentiumque historiae explicarentur; peculiarem doctrinam de mundi ortu atque vicibus interrogarunt, deque primaevi mundi phoenomenis, que nuda terrarum disciplina non endaverat. Cuius quidem auxiliaris disciplinae praesidio Alpium origines cognovimus, innotuitque quibus legibus torrentes valles adimpleverint, lacusque aduentes terrae compleverint; et platearum glacialium vitam motusque vidimus, et quoque latius antiquitus eae sese portenderint, et quomodo exinaniti fuerint, et cortices multiplas, quibus montes constant, conflaverint.

Populorum pariter hominisque disciplina satis pretiosa documenta ad rem attulerunt, quibus doctis viris leges constituere datum est, quae populorum vitam constringunt, et elementa quibus alii seiunguntur ab aliis, et praecipuam singulorum indolem, peculiares cuiusvis gentis fines, quos earum historiae proferunt.

Taine, philosophus mentis acie praevalidus, non sine fortuna primus perscrutatus est quae et quanta ad hominum fata provehenda, terrarum, montium, aëris, vel maris, vel tempestatum influxus potuerint ita, ut inter homines atque naturae aspectus, quos circa vitam agunt, intimus abditusque nexus intercedere videatur. Quod plane conspicimus Indis contingere, qui nimia terrarum foecunditate aërisque suavitate enerves facti, ad labores inepti, ad bellum impares, exterarum gentium iugum absque repulsa patiuntur.

En itaque quo factum sit ut terrarum haec doctrina ab omnibus disciplinis fuerit auxilio donata, seseque circum subsidiariam veluti doctrinarum seriem constitutam habuerit; ipsamque historiam, cui antea praecipue mancipio tradita fuerat, hodie contra necessario semper comitetur, ita ut iure Cousinius Gallus philosophus conclamaret: «Praebe mihi regionis formam, atque ego vicissim eius historiam enarrabo».

Loll. — Dic iam, sodes, hoc saeculum reparatae salutis a die suo natali quot annos enumerat?

Treb. — Annos, ni fallor, quinque et nonaginta supra millesimum octingentesimum.

Loll. — O antiquissimum saeculum ideoque omnium praestantissimum! Auctoratis, quae senectutis est apex, profecto plus habet, laboris minus. Prudentia autem carere nequaque potest; quippe diurnae experientiae praesentem adiunxit. Quapropter mihi videtur amni simile, aucto plurimis aquis, qualis

*Iter casuros in quaelibet aequora fontes*

*Accipit et scythicas exit non solus in undas* (1).

Antiquitas ergo tota nostra est; vestra, praesentis aetatis obiurgatores, infantia.

Treb. — Novissima, hercle, praedicas, Loll.

Loll. — Ea dicuntur novissima, quibus adiectum est nihil. Ita in serie numerorum, quintus erit novissimus numerus, quem sextus non excipiat. Vos igitur novissimi estis, qui eodem semper in numero haeretis, tamquam in scopulo. Contra vero nos antiqui iure censemur, quibus multa accesserunt, quemadmodum inter homines sic dicitur senior, cuius aucta vita est novis annis. Quid enim vetus esse potest remota novitate?

*Quod si tam Graecis novitas invisa fuisset*

*Quam nobis, quid nunc esset vetus; aut quid haberet*

*Quod legeret tereretque virilim publicus usus?* (2)

Treb. — Vereor tamen ne recens ista antiquitas - pugnantia enim, auctore te, loquar - sancta posteris unquam ac veneranda videri possit.

Loll. — Eo sanctior, mihi crede, quo diuturnior.

(1) LUCAN. *Phars.* II, 419. (2) HORAT. *II Epist.* I.

Haec quae summatim attigi velim magistri sub oculis habeant dum terram discipulis describere aggrediuntur: si studium hoc ceteris cuiusque ordinis apte sociaverint, non est dubium quin non praestans modo sed et gratum et facile satis discipulis sint reddituri.

F. R.

Virtute ambire oportet, non fautoribus.  
Sat habet fautorum semper qui recte facit.  
(PLAUT. in *Amphit.*)

### QUAESITIS RESPONSIO

#### DE UNA EADEMQUE APUD OMNES PRONUNCIATIONE LATINA.

Clarissimo viro Hyacintho De Vecchi Pieralice Augustus Sordet S. P. D.

**P**ERIUCUNDAS habui binas epistulas, quas cl. Donaldo Macrae mihique multo officio dedisti; est cur non solum maximas agam gratias, sed etiam maiores habeam. Dicam summam esse inter nos consens'omem ac consiliorum voluntatem? Paulum id quidem est: non enim is sum qui possim laudi tuae quidquam addere; verum, persuasum habeo inter lectores commentarii nostri haud unum rep. riri, qui, licet in diversum possit tendere, tuam non miratus fuerit in dicendo elegantiam, in exponendo eruditionem. Fateor equidem magnum esse quod moliri cupimus; asperum sane opus ac lentum est ut quaestio a consilii ad communem omnium usum pertingat: tanta vis est consuetudinis, quae cum tempore processerit, vim obtinere solet naturae, eamdemque si furca expellas cito recurret.

Sunt qui putant rem tantis obvolvi difficultibus, tantis tricis implicari, ut hanc vel mouere summo dito recusent, idque satis fore asserunt, si omnes recte se intelligent, quamvis alius alia sermonis pronuntiatione utatur. Eorum pace dicam, opinionum dissensione plane discrepamus. Ecquis, si de vernacula aliqua lingua age-

Etenim in ingenii humani natura positum est, ut remotissima quaeque longe maiora videantur.

*Omnia post obitum fingit maiora vetustas,  
Maius ab exequis nomen in ora venit* (1).

Et huic igitur aevo solvet laudis tributum consuetudo. Nostro etiam nomini, plerisque nunc ignoto, contingit ut volitet et vagetur latissime. Nam, quum, nobis demortuis, artes aberunt nostrae ab obrectatione atque invidia, te quoque, Trebat,

....inter seros memorabit Roma nepotes (2),

edicetque, sacri et civilis iuris intelligentia atque omni prudentiae genere sic praestitisse, ut parem neminem habere possis in posterum. Philippus autem alvi curandae feretur doctor unicus exstisset. Neque vero nihil commendationis habebunt et Davus et Marcus.

Dav. — Ergo et nos erimus immortales?

Phil. — Vestram certe stultitiam nulla delebit antiquitas. Te vero, Loll, quem praedicabunt?

Loll. — Non est meum hoc iudicium, sed fortasse Trebat.

Treb. — Tua, credo, laus apud posteros haec erit, qua aetate scriptoris latini simulacrum via reperiri posset, nonnihil te consequutum fuisse in hoc genere. Non tamen effugies reprehensionem doctorum atque prudentum, quod in latinis litteris excolendis inusitatibus vias arripueris, tritias reliqueris. Cursum scilicet ingenii tui pressit haec importuna clades civitatis, novitas, quae solet adolescentiam celeriter suae temeritatis implere.

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

(1) PROPERT. III, I, 12. (2) Ibid. 18.

elim magistri sub  
ulis describere ag-  
cuiusque ordinis  
uin non praestans  
atis discipulis sint  
F. R.  
oooooooooooo  
utoribus.  
te facit.  
r. in Amphit.).  
oooooooooooo  
ONSIO  
d omnes  
na.  
ecchi Pieralice  
D.  
, quas cl. Donald  
edisti; est cur non  
in maiores habeam.  
ns'ōnem ac consi-  
m est; non enim  
am addere; verum  
entari nostri haud  
possit tendere, tuam  
am, in exponendo  
esse quod moliri  
m est ut quaestio  
m pertingat: tanta  
e processerit, vim  
furca expellas cito

vi difficultatibus,  
ere summo digito  
omnes recte se in-  
pronuntiatione uta-  
sensione plane di-  
qua lingua age-

um est, ut remo-  
  
tustas,  
venit (1).  
cum consuetudo.  
gnoto, continget  
uum, nobis de-  
atione atque in-

epotes (2),  
atia atque omni  
arem neminem  
m alvi curandae  
vero nihil com-  
is.  
les?  
la debilit anti-  
nt?  
n, sed fortasse

eros haec erit,  
reperi posset,  
ere. Non tamen  
rudentum, quod  
ripueris, tritas  
sit haec impor-  
adolescentiam

ANGELINI.

retur, eamdem proferre auderet sententiam? Annon scho-  
larum magistri, virique docti, quotquot reperiuntur, uno  
ore, una virium omnium contentione satagunt ut omnes  
eundem sermonem patrum, iisdem omnino son's, eodem  
accentu referant? Cur, quaeo, «patavinitatem» quam-  
libet summo conatu lassent, hancque, dum de lingua  
latina agitur, incolum servari sinant? Quinimo, «pa-  
tavinitati» (hoc enim nomine diversam pronuntiandi  
rationem recte perstrinxisti) eo minus indulgendum est,  
quo magis a recta sermonis latini pronuntiatione distant  
consueti modi patrio more eloquendi. An una sit, inter  
linguas vivas, ut aiunt, quae tanta patiatur in pronuntia-  
tione discrimina, quanta in latine dicendo et audimus et  
audire dolemus?

Nos vero adeo uberes fructus ex hac una eademque  
recta apud omnes pronuntiatione latina expectamus, ut,  
quantumvis arduum videatur, opus tamén magno animo  
consertisque viribus aggredi haud dubitate debeamus.  
Tuis ergo propositis morem gerens, quidquid de hac re  
sentiam, candide dicam; tu vero, pro tua humanitate et  
doctrina, approbes velim aut reificias: non aegre feram  
si quando a tanto magistro vel carpi contigerit.

Primum omnium, nemini dubium esse potest quin  
iste pronuntiandi modus eligendus sit, qui nunc Romae  
vitet; ille enim et maiorum traditione et sonorum dul-  
cedine aptaque eorum commissura praestat. Praeterea  
rationi omnino consentaneum videtur ut, ex quo fonte  
ortum habuerit sermo latinus, ex eo communis omnium  
pronuntiatio hauriatur. Hoc addam, quod prope neces-  
sarium dixerim: quis unquam dubitaverit quin auris, dum  
loquimur, certa sibi iura vindicet? illa enim saepe et  
saepius ita vocabulorum ordinem enuntiationumque dis-  
positionem moderatur, ut, nisi huius «superbissimo iudicio»  
attendant plurimum, sermo habeatur corruptus  
barbariaeque notam incurrat. Iamvero, nemo incisiari  
potest, numerum latinum, harmoniamque requisitam et  
aptius cognosci posse et facilius orationi conferri, si  
quibus sonis, quo accentu prolatus fuerit sermo, iisdem  
omnino pronuntietur. Quis inter tuos populares delecta-  
retur Vergilii aut Catulli carminum dulcedine, si ea more  
Gallorum Anglorumve elocutus fuerim? Annon in homi-  
icum risum effunderentur omnes, si gallico modo  
recitavero illud Vergilii, dum insolentem fragorem, potius  
quam murmur illud coecum audierint:

Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae?

Illud mihi persuassimum in mente est, non quidem ex  
praeconcepto aliquo iudicio, verum ex non modico cum  
adolescentibus in litteris edocendis contubernio: multo  
facilius studiis latinorum scriptorum incumbent, eorumque  
elegantia aptius imbucentur si rectae, nativaeque, ut ita  
dicam, pronuntiationi indefessam operam contulerimus.

Huc accedit quod nulla prorsus difficultate detine-  
mum affigendo quibusque literis sonos illos qui Romae  
audiuntur; gallica enim lingua harmonia modisque locu-  
pletissima hos omnes complectitur. Quinimo paucis ad-  
modum praecepsis ad usum nostrum decerni potest recta  
pronuntiatio. Satis namque erit, si omnes consonantes  
omnesque vocales separatim et distincte protulerimus;  
si i ante n et m sonum habuerit liquidum, ut ita dicam,  
quem obtinet in gallicis vocibus fine, sublime; si j cum  
litera i sono consenserit; si diptongae nunquam in unum  
sonum coalescere siverimus praeferimus ae, oe; si tandem u, antiquo more ou pronuntiaverimus.

Haec cum nuper viro cuidam doctrina et auctoritate  
praecellenti dixisset - de his enim non semel egī - non  
modo consilium probavit, sed etiam fassus est nihil sibi  
magis optandum videri, quam si omnes uno ore elo-  
quantur. Verum, haec ille mihi: — Esto — inquit — ut  
concordiae consulamus, eadem, si lubet, in dicendo pro-  
nuntiatione utamur! usurpemus eam que Romae est in  
usu. Atvero, certumne est Romanos, post tot elapsa sae-  
cula, primaevam eloquendi rationem custodiisse? — Ipsius  
oculis subiecti quae tu, in prioribus litteris, tum de ple-  
beio, tum de patricio sermone, eleganti facundia disse-  
rueras. Placuit sententia, sed victas nondum praebevit  
manus: — Imo — sic ille — Romanos huius aetatis, ut  
plurimum, secutos fuisse in eloquendo vestigia maiorum

doctrina et humanitate conspicuorum fateor, verum, ne  
quid plura dicam, ab illis certo certius discesserunt in plu-  
ribus consonantibus pronuntiandis. Litera c, apud illos, et  
litera g quandoque sonum habent compositum; quod qui-  
dem alienum duco a pronuntiatione antiquorum. In ver-  
naculo nostro sermone, hae literae duplice sono gaudent:  
ante vocales a, o, u referunt z et γ illa Graecorum, ante  
e et i sonum habent leniorem qui ad literas s et j (gal-  
licum) proxime accedit; Romani vero consonantes c et g  
ante e et i pronuntiant, perinde ac si inscriberentur no-  
bis tch, dg. Quid commune habet praeposta illa pro-  
nuntiatio cum Latinorum antiquorum recta dicendi ratione,  
qua si literis graecis nomina latina mandare cupierint,  
literas c et g per z et γ semper retulerunt? Practerea, ego,  
vir Gallus, plane ignoro cur literam b ante i quasi inscri-  
beretur k pronuntient. His exceptis, quibus tamen, con-  
cordiae in dicendo gratia, non multum esse attendendum  
arbitror, nihil obest quominus in Gallia sermonis latini  
pronuntiandi illa ratio adhibeatur quae est Romanorum.—  
Hactenus ille; statim pollicitus sum me ad te de his  
scribere, ut quid sentias aperire possis, viro eximio, Gallis,  
ut augor, bene multis, mihique imprimis non modicum  
collatorus beneficium.

Mox, cum primum potuero, quid agendum sit in  
Gallia, ut iam a consilis tota quaestio ad facta transeat,  
scribam; hodie nolim tua, licet maximam expertus sim,  
abuti patientia.

Vale, vir humanissime, meque scias tuum esse et man-  
cipio et nexu.

## AMYGDALA

*Hortule, nativis essem cum finibus exsul,  
Suspirate mihi totiens divina precanti  
Numina, at incassum, patriis ut redderer agris,  
Cui pia te iussit matris cunabula vernis  
Cura rosis ornare (meae non, hortule, matris  
Quae periit, longo heu! memini confecta dolore,  
Cum nulli cultus dominoque absente iaceres  
Apta dabas tumulo texendis lilia sertis!)  
Illum iam reducem quiris post excipe lustris,  
Et fessum refove. Dilapsis unus amicis  
Ipse manes, gratusque mibi, viridaria quanquam  
Urticis cessere malis, atque ordo viarum  
Omnia abest, floresque olim perfundere biantes  
Fons suetus tremula hinc ac inde aspergine, stagnat.  
O quas nunc veterum qui novi provida rerum  
Fata mibi voces, mater, tuus hortus haberet!  
Omnia sed tecum glebis sunt rapta decoris,  
Nullaque iam florum vox extat cognita vati,  
Hinc narcissus abit vitreis conterminus undis  
Quondam, mutata solem non virgo figura  
Spectat, nec laurus placidis admurmurat auris.  
Hos hominum, mater, faciem spoliasse docebas,  
Et cupidum urgebat puero narratio pectus  
Cara mibi: nunc paene silet iam fabula in hortis.  
Est tamen, haud fato par floribus, una superstes  
Quaque suos recinit, ni fallor amygdala, casus,  
Arbor desertum ramis dum protegit agrum;  
Quam posuisse - patrem memini narrare frequenter -  
Fertur avus (nondum pleno mors abstulit anno)  
Ut primum veni dias in lamentis oras.  
Una comes pavidus, soles defendit sub una  
Lassus ego, et taceant cum flores, murmur capto  
Arboris; eventus nam cantat amygdala acerbos.  
Utque suum Phyllis, zephyro spirante, videtur  
Demophonta vocare mibi, te, mater, et ipsi  
Quaerimus amissam, dum, quod magis usque dolendumst,  
Non violis tumulum tibi iam tuus hortulus ornat!..*

ALAFRIDUS BARTOLI.



## ANNALES

Humberti Italorum regis parricidium - Solemnia  
eius funera - Nex Persarum regis tentata -  
Transvaalianum bellum - Sinenses res -  
Alexandri Serborum regis nuptiae.

Q UAEQUE in Urbe circa dimidium noctis, quae  
inter undevicesimum Iulii mensis diem ac tri-  
gesimum est, cohidente silentio, repentinus, qui vigila-  
rent adhuc, cives obtinuit rumor. Fertur Humbertus  
rex, triplici manuballistulae plumbo circum praecordia  
transfossus, repente obiisse. Modoetiae ad Mediola-  
num, quam rusticandi causa de more petiverat, cum,  
plaudente circum frequentia populi, a gymnico ludo  
recederet, ubi praestantioribus adolescentibus, qui in  
ipso exercerentur, aurea et argentea praemia regali  
dextera et iuvantibus verbis solemnissime distribue-  
rat, ad undecimam fere noctis horam narrantur  
haec accidisse.

Aribus primum non adhibetur fides ab iis, quos  
haec, admonente electride, nunciae voces percule-  
runt. Instare ancipes; eadem referri. Rigueret crines  
legentium et audiendum, gelidusque cucurrit per  
ossa tremor immanitate sceleris, innocentia occisi,  
Reginae luctu, dolore Filii longius absentis, Regiae  
familiae moerore, discriminè gravi reipublicae. Quasi  
fluctus decumani singula, torquebant haec omnia,  
urgebantque non eos modo, quos notitia tanti par-  
ricidii ingenti oppresserat mole, et sollicitudinibus  
paene contriverat infinitis, sed vel eos, quos exper-  
gefecerat vaga vox, incertosque quid esset e quiete  
per vias et plateas adegerat.

Qui postquam frustra contra immanitatem cri-  
minis sua incredulitate pugnarunt, victi evidentia ob-  
mutescabant, domumque redeentes ea suis repugnantibus  
suadebant vere accidisse, quae omnes, ubi  
audiebant primum, accidisse negabant. Superabat  
opinionem nefas, et execrationis impetum in amaras  
erupturum querelas horror ipse vincebat, funestumque  
silentium late dominabatur Urbi moestissimae.  
Qui obfusus caligine sol Apenninis e montibus caput  
extulit, quantus esset ubique luctus ostendit. Offi-  
cinæ, emporia clausa, popularium, nobiliumque aedes  
semirecluso ostio vix aditum dabant; squallebat omnis  
ordo populi; civitas universa moerore conficiebatur.  
Rarae per vias videntium voces; abeuntium demissi  
oculi; brevia colloquia; omnes communi calamitate  
premebantur. Sic tota, quae sequuta est noctis nef-  
fandæ infortunium, dies, sic altera excessit, domi-  
busque in singulis lamentum iuge modo de Rege  
atrocissime sublato, modo de Regina, inter aerumnas  
lacrimasque relicta, cuius ante oculos, siqua erit  
adhuc vivendi vis et virtus, cruentatum Regis et  
Viri sui cadaver nocte dieque, per somnos et per  
vigilias obversabitur.

★

Sed omnia enucleare moerentis animi apud Italos  
testimonia longissimum est; munus autem nobis  
praecipua afterre. Victorius itaque Emanuel III, Hum-  
berti filius, Rex est dictus, cui iusurandum fidei  
spondet militibus primum per Italianam omnem  
et in Africana colonia in campis martis; classariis  
vel iter facientibus in naviis coram vexillis est pro-  
positum datumque.

Nec tamen Victorius adhuc Rheiensem portum  
appulerat, ex orientali itinere revocatus. Qui qui-  
dem, statim ac litus tenuit, recto tramite Modoetiam  
petiit, quo iam regalis familia omnis convenerat.  
Auctus inibi matrem inter et filium doloris crucia-  
tus, coram Regis cadavere. Hoc tandem in feretro  
sericis et argenteis ornatibus composito, novus Rex

edictum populo proposuit vulgavitque. Regalis autem vidua pientissimam precem ipsa exaravit, atque, ecclesiastica auctoritate probante, Italiam omnibus recipiendam ultro obtulit, ut mariti vita functi animam expiarent.

Funera solemnissima Romae habita sunt; exuviae, militari et civili pompa diurna praeeunte, ad Marci Agrippae Pantheon deductae. Legati aderant ab omnibus novi veterisque orbis regibus et principibus missi, ut solemni funeri adessent; vexilla legionum alarumque totius italicici exercitus post feretrum, in ballistae ignivomae curru impositum, ferebantur, aderatque militum praefectus, ferream illam coronam in pulvinari gestans, quae vetustissima totius orbis regia corona est, quam Italiae reges sibi multis iam saeculis imposuere; eam tradunt Helenam, Constantini Magni matrem, ex clavo ferreo Dominicæ crucis a se repertae primum filio confecisse. Cadaver deinde, prope patris cineres, in eodem templo reconditum.

★

Facinus alterum, quod tetricimae fere belluae totiusque humani generis hostes perpetrarunt, Lutetiae tentatum est contra Persarum regem, qui omnium artium recensionem invisurus inibi aderat; at, Deo iuvante, incassum factum.

★

De Africano bello inter Boeros et Anglos postrema sunt; Boeros ferreas vehes, quae commeat et milites deducebant, captivas fecisse prope Kowig-Pruit, atque vias omnes Praetorianum circum praeculisse; French ducem Middelburg loca pulsis hostibus tenuisse; milites ex Orange republica qui superercent iam non amplius quam legionis numero in ditionem venisse, ipsumque denique Dewet, Boerorum strenuum ducem, prope Transvaal fines maxima multitudine circumdatum iamiam esse ditioni proximum.

★

Graviora sunt quae ex Sinis innotescunt. Primum enim haud satis appetet quae animi concordia, quaeve consilia foederatas totius Europæ militias moderentur. Alii enim, ut Russi et Iaponenses, Pechinum versus urbem caput iter iam inierunt, alii, ut Angli et Americani, commorandum esse adhuc putant, donec auxilia ad rem missa appulerint, ne forte victoribus illis victoriae fructum sibi subreptum videant. Illi autem in maximis Sinensium copias iam occurrerunt; Russi equidem felici exitu Pei-tsang urbe potiti sunt, Iaponii contra nonnulla cum clade repulsi. Galli autem Mong-tse ex Yun-nan provincia occupasse dicuntur, Angli in Shangai portum praesidia immittere. Quae Li-hung-chang praesidem callidissimum attinent, omnia incerta sunt, sive eius assertiones de legatorum sospite vita atque proxima libertate, sive abdita consilia, quae secum in corde revolvat; quorum impudens fallacia cum iam plenisque satis probata videatur, ipse traditur quoque sese vita sua manu orbasse, ne disiectum ab Europaeis imperium videret. In imperiali enim aula belli consilia iterum praevaluisse dicunt, atque novo duci totius exercitus imperium commissum, quo nullus Sinensium est Europaeis infensor. Commoventur autem atque vastantur in dies oppida in Yang-tse fluminis valle atque in Manciuria provincia, et Christianorum praecipue caedes maxima fit; ipsique provinciarum ad meridiem spectantium reges vehementer iam timent, ne perduellionis crimine incursent, seseque necatos proxime videant, ut iam praecipuis pacis fautoribus contigit.

★

Bellogradi, Serbie in urbe capite, Alexandri regis cum Draga Maschin nuptiae celebratae sunt. Adstant coetus oratorum novus praeses Nestorovich, legati omnium gentium, quos inter Marchand Gallus, atque Russus Mansuroff. Ferunt vero Milanum patrem ob has nuptias vehementi ira in filium comitum ad Giurisch praefectum militum litteras misse ut filium e throno deiiceret. Sed Russorum Caesaris approbatio nuptias suo auspicio tutas fecit.

POPULICOLA.

## LIBRORUM RECENSIO

ΓΕΩΡΓΙΟΥ ΛΑΜΠΑΚΗ, *'Η Μονή Ααγρίου μετά τὰς ἐπισκεψείς*. — Ev' Αθήνας, 1899.

Librum, inter recens per Graeciam editos, peculiaria laude dignum censemus, quem Lampaki doctor, Olgae Graecorum reginae a secretis, conscripsit, primus qui christianarum antiquitatum disciplinam inter Graecos fovit, coetum studiosorum ad rem coivit, et museum sacrae antiquitatis reliquias iam dives constituit.

Vel inde ab anno 1889, alium eadem de re librum scriptor vulgavit, quem viri illustres in disciplina hac peritissimi, quos inter I. B. De Rossi, maximo plausu excepere. Nova haec vero addens, id contendisse praecipue videtur, ut quae prima opella vis indigaverat, fusius exponeret, atque effissionum, quas Graecorum reipublicae administrisi perficiendas curarunt, exitus palam traderet.

Liber dividitur in partes tres; quarum prima, veluti prologus, omnia quaecumque docti viri de monasterio Daphnaeo disseruerunt evulgaruntque referuntur; item quae de primo Lampakii opere commentaria diiudicarint. Altera instauraciones aedium anni praecipue 1891-97 peractas enarrat, tempisque antiquitatem statuere contendit, quod plerique longe ante x saeculum conditum autem, ipse contra ad illud potius refert. Postrema musivorum operum, quae inibi renident, nositias praebet, sacrasque icones per partes describit, quae in templo conspicuntur. Quae quidem descriptiones comptae semper et undequaque perfectae iuxta doctrinæ rationem exariantur, ita ut praeter lectissimam artis sapientiam, scientiam pariter subiectarum rerum eximiam in scriptore arguant.

Opus itaque vehementer commendantes, gratissimum id ac perutile sacrarum antiquitatum cultoribus fore existimamus: quae enim Lampakius, vir clarissimus, de monumento hoc Byzantinae aetatis insigni investigavit ac reperiit, germana pleraque monumenta quibus Italia gaudet, eaque inter aedem praecipue atque abbatiam Sanctae Mariae de Cryptaferrata nova luce clara reddent.

A. P.

NATALIS ALLEGRI *De Asiatico cholerae morbo animadversiones annorum 1837, 1854-55, 1866-67.* — Augustae Taurinorum, ex off. B. Marchisio et f.

Latinus et medicus, iure de Asiatico cholerae morbo latine scripsit Natalis Allegri, neque incompto stilo, neque communi peritia, in quatuor praecipue suburbanas civitates, in quo versatus est, animadvertis, Tibur, Tusculum, Albanum, Ariciam, letali morbo pluries pessimatas. Itaque de singulis sermonem instituens, solum, aquas, cholerae excursions in oppidum quodque attente recognoscit; unde ad generales enunciations assurgit, quae hoc paene axiomate resumunt possunt: « Hygeae locus in urbe si fuerit, cholerae locus non erit ». Reliqua sunt de medicamentis; quae quidem, utpote a scriptore, facto periculo, allata, ipsius verbis iuvat referre: « Immunitatem fere omnium qui coria perficiunt, et graveolentia, animantia, cutem, sanguinem, ossa pertractant, respiciens, et potissimum vespillonis immunitatem, qui dum continuo cadavera cholérica effert, nulla sui ipsius cura, immo circa omnia per contemptum et ludibrium negligens, tamquam unicum apud eum imperium esset, in morbum rarissime incidit, ausus ego sum remedium proponere ad cholerae curandum, oleum animalē foetidum,

oleum Dippelii, ex quo constabat Chaberti oleum contra taeniam... Oleum animale foetidum, parasitis infestum, infirmum excitat et foveat corpus, et contracta solvit crura: cholera omni austerritate fugatur, et nocentes bacilos innocentia olei graveolentis exagit et conficit ». Accedunt tabulae « demographicae », aliaeque loca examini subiecta oculis proponentes, quae operi considerante atque honesto consilio perfecto addunt ornamentum.

I. F.

CAESAR PECORARI S. T. D. *Manuale Ordinandum*. — Romae, apud Desclée, Lefebvre et Soc., 1900.

Volumen præ manibus habemus quod Caesar Pecorari, Romanus Sacrae Theologiae doctor, provida mente et diligentè opera digessit. Scriptor enim, quod iamdiu plerique desiderabant, efficit, ut vetus Tognii satis notum opusculum, haud paucis mendis iam obsoletum, corrigeretur omnino, immutaretur, unique formæ ac perfectiori redderetur. Facilis inde tum iuvenibus ad sacros ordines promovendis, tum eorum praepositis, quibus sese probando sistent, patet in libello via eaque explanata et usque ad exitum deducta, quam maxima utilitate utrique sequentur, omnia ordine et apta copia disposita inventientes, sive quae sacros ordines excipiendo, sive quae theologicam ad rem doctrinam spectant.

I. A.

## AENIGMATA

I.

Tota volat per aquas. Truncor si vertice, mellis

Dona dabo moriens; aëra possideo.

Bis me si minuis, tua quae sit, redde, voluntas!

Sed quum ter minuar, lector abire voles.

II.

Regnum sum volucrum; petit me Daedalus alis:

Navita saepius, heu!, Icarus alter adest.

Sumptum contrahe et effode opes; bene parta tueri

Neve adamare velis: cura mala haeret in his!

Scribe retrorsum nos: homini requiem longaevam,

Cum nequeam domibus, rite dabo tumulis.

A. E. DE DRUFFEL.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

H. MARUCCHI - P. CHENILLAT  
GUIDE DU PALATIN

Aenigmata ann. III, n. XII proposita his respondent:

1) Animal - Lamina. 2) Ara - abi - a (Arabia).

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco, Roma - Guil. Schenz, Ratisbona - Aug. Sordet, Thury - Ver. Cariolato, Vicentia - Ios. Wilhelm, Cantauria - Hect. Landi, Turrita - V. Hertel, Mendhausen - Ios. Crosatti, Poiano Vallipantena in agro Veronensi - Vinc. Lakatos, Keszhely - Sem. Campaniense, ad Salernum - A. Chevénement, Nods - Car. Stegmüller, Sabaria - Alph. De Jaer, Poussel in Belgis - Herm. Gini, Taurinis aquis - A. Loeper, Carlsburg - Hild. Guépin, S. Dominico de Silos, ad Burgos - Alois. Rainieri, Schilpario, ad Bergomum - Ios. Schmitz; G. Langenberg, Monasterio Guestph. - Mich. Vidal, Palma, in Maiorica insula - Ad. Huza, Grybow, in Galicia - C. Perazzi, Mengalore, in Indis - Fr. Sallares Sch. Piar, Sabadello - Fr. Perényi, Iaszberény.

Sortitus est praemium:

V. HERTEL,

ad quem missum est opus, cui titulus:

PLINII EPISTOLAE  
Edidit KEIL Lipsiae ex off. Teubneriana.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

## PER ORBEM

**R**ECOGITAVI saepe horum itinerum peregrinationem inutilem fore, nisi aliquam vivendi sapientiam inde ego primus eruerem. Humanos enim recognoscere casus atque adnumerare, vanas inepta que fuerit curiositatis inceptus, nisi eorum experientia docente, prudentiores facti maturius in consulendo, in agendo fortius homines sese gerant.

Quid? Cum coniectore audiverimus futuros eventus tuta mente praenunciantem, nonne eos accipere maximum erit prudentiae existimabilis, atque ad eorum documenta venturam aptare vitam? Hunc itaque potissimum credam aeternae huius viae selegisse fructum, de quo vos hodie monebo. Saeculum quod futuro anno exorietur feria tertia, olim Marti sacra, initium ducet, extrema autem eius dies Dominica erit. Ter Februarius mensis dies Domini quinque reviset, annis videlicet 1920, 1948, et 1970. Bisextiles anni vigintiquinque, menses totius saeculi 1200, hebdomadae 5128, die dempta, erunt. Eclipses portenduntur 1000, quarum sexcentae et quinquaginta solares, cententae vero et quinquaginta lunae relictae. At doctissimos tanta astronomia viros perpaucos fuisse reputo, qui viderint argentiarum syngrapharum quot centum futura per singulos annos insoluta, quod tradunt tamen eos paene iam praenovisse, qui insolventes fieri sese iam statuerunt.

¶

Dum haec exspectamus, ut praeclodium tantae fortunae delibemus, aestus insolitus adest, quem forte, ut nunc servet, incaluisse nunquam seniores memorant. Liberi septentrionalis Americae cives tropicorum sese sub torrido aere dolentes queruntur. Sol viarum lapides torrefacit, equi, viribus absunt, passim heic et illuc procumbunt, nosocomia aegrotis redundant solaribus ictibus correpti, coemeterii miserorum caderava, quos aestus insolitus interfecit, complevit. Quae ut ingravescerent hydrophobi canes contagio teterrimo passim correpti sunt, militesque ex urbanis et suburbanis cohortibus in caninam huiusmodi venationem incassum contendunt, ut usque ad unum teterrimo morbo correptas belluas plectant, quae iamdi plurimos viros morsu venenato congressae sunt

¶

Lutetia haec etiam praecipue experta est: Sequana flumen, aquis vaporantibus exinanitum, pisces putrescentes fetore pestilentiali quotidie reiecit. Deficiebat in cloacis aquae, neque ad glaciem arte efficiendam liquor iam praesto erat. Commendatum inde vehementer civibus, ut vix necessariam virtutem aquae partem sibi adsumerent; et aliquot per horas quotidie cautum est, ut cursus aquarum suspenderetur.

¶

Nihilominus Iberis canicularis fervoris primas deberi credimus; Madriti enim thermometri lympha 37 gradus indigitavit, Cordubae, Hispali et Pacensi in urbe 41, Iaensi 38, Salamantina et Vallisoletana 35.

¶

Et quoniam ignita recolimus, praestat incendia enarrare.

Ad Hudson fluminis ripas, prope Bayonne urbem, petroli trigesima millia doliorum erant in emporis coacervata a ditissimo eius commercii collegio *Standard Oil Company*. In haec, media nocte, fulmen incidit; ignitus liquor in censu statim parietes loci fregit tonitru maximus,

atque flammrum veluti flumen inde eruptit, vorice praevalido, omnia incendens, absumens, diruens, feminas, et pueros, et viros, et bestias in fugam coniiciens. Hospites, qui in Bay View hospitio morabantur, vix elabi potuerunt: aedes enim momento temporis absumptae sunt. Domus centenae adnumerantur, quarum vitra ictu vehementi fracta sunt; quin etiam violentissima aëris commotione quatuor corruerunt; attamen hominum caedes in tanto infortunio satis exigua: vulnerati quatuor, unus tantum vita functus.

¶

Contra dicendum de Constantinopolitano incendio, quo sex urbis regiones paene ignis abrasit. Domus centum et quinquaginta, emporia centum, scholae et templa deleta sunt. At hominum maxima strages, quorum, proh dolor!, quos ignis non corripuerat, aqua interfecit. Turmatim enim atque certatim fugientes in puteum late patens inopinato aliis post alium corruere, atque misere demersi sunt.

¶

Iaponenses supra huiusmodi e Iokohama nunciant, vulcanum Iohuma ad Baudaisan terribili convulsione tot flamas eructasse, ut inter maximam ruinam biscentum incolas confecerit.

¶

Minimam autem eruptionem, ut necem sibi compararet, Delital ballistarius miles, Leopoli ad Austriae urbem castramatus, sibi procuravit. Tormentum bellicum ignis pulvere complevit; deinde sese ad eius os alligato, ignem immisit; fragmenta adusta vix e corpore superfuerunt.

¶

Militaria quoniam attigimus, Wilhelmus, Germanorum Caesar, iucunda ad itineris finem offerat. Sexta via matutina hora Caesar ad casta primae equitum legionis, quam draconum regalium vocant, equo consenso ultro adstuit.

Constiterant iam in atrio alae paratae ad signa ferenda, adstantab centuriones et magistri alarum, sed tribunus aberat. Tunc iussit Caesar eum ad discessum exspectari, qui cum paulo post anhelus supervenisset atque imperatorem conspexisset, vehementer contremuit, cucurritque ut excusationes adduceret. At Wilhelmus ut sileret nutu imperavit, et cum exercitu profectus est.

Alae ad campum martium exiere, exercitia adstante Caesare expleverunt, qui tacitus semper adstitit, tandemque Berolinum reversus est.

Diei circiter ad dimidium Wilhelmi legatus ad legionem pervenit capsulam ad tribunum de-

ferens, qui pallidus, contremiscens eam aperit, et.. Horologium expurgisculum in capsula regale donum erat!

VIATOR.

## VARIA

### Ioci ex historiis.

Interdum fit ut vel nolentes in aliquid seu lingua seu actione labamur, quod inurbanitatis nota immeritos premet, pronisque pessima de nobis praedicet auribus aliorum. Tum ad vitandam infamiam, tum ad reconciliandos nobiscum animos, quos inviti offensione illiusmodi afficiimus, mirabiliter prodest illa aurea indoles mentis et vis, quae sententia brevissima, ridicula saepius magnas, ut ait Horatius, plerumque secat res.

In crimen laesae urbanitatis coram rege Gallorum, Aloisio XVIII, administer De Combieris olim inciderat, quippe quia in solemni administrorum regni concilio, cui rex praearat, nicotiani pulveris thecam e sacculo extractam, diuque manu versatam, ante regem, cui a dextris erat, posuerat. Mox et muccinum eduxit, et rege coram ipso inurbane apposuit. Anceps inter stomachum et indignationem rex inurbano et male verenti subdit: — Heus tu! — inquit — videris mihi penitus peras tuas ante me velle vacuas facere. — Sed statim ille argutus: — Administrum, o rex, non dedecet coram rege vacuas facere peras suas; utique scelus esset implere! — Placuit sententiae veritas, et lessae urbanitatis et reverentiae laesae crimina regio risu, et adstantium approbatione absoluta sunt.

\*

Theodula dynasta de Beaucours, ducis Napoleonicis Montholon vidua, *Quae mihi multa quidem, sed et haec narrare solebat,*

*Unde meum praesens instrueretur opus,* olim ista retulit, ut Napoleonem, in agendo formem et alacrem, non minus in dicendo lepidum promptumque probaret. Arcanum codicillum, quem imperator in subalari pera gestabat, unicus ei filius nescio quo casu eruptum puerili manu versabat coram Massena, de quo illic plura notabantur sale et aceto perfusa. Visus Massena indoluit. Inter haec adstitit imperator, qui Massenam ea legisse animadvertis, ita indignans: — Ne doleat; amici sumus, et amicitia pares aut facit, aut invenit. — Tunc in risu dux: — O dictum bene! — Et illico Napoleon: — Ait latro ad latronem!

P. d. V.

## SOCIIS MONITUM

**N**ONNUNQUAM ad nos socii scripserunt dolentes hunc vel illum commentarii numerum suo tempore sibi non remissum; quin etiam interdum binos vel ternos quoque simul allatos.

Volumus itaque socios certiores, diligentissime munus nos apud diribitorum exsequi, et a culpa longissime abesse. Profecto qui subnotationem non recto tramite, sed per bibliopolas fecerunt, neque iisdem iniunixerunt, ut nomen eorum patefacerent, ipsi serius commentarium accipient, cum bibliopolae committenti commentarium inscribere teneamur...

Ceterum quisvis *Vocis Urbis* numerus fortuito amissus rursus a nobis petatur, qui rationem habebimus: subnotatio autem et alia omnia semper mittantur ad **Aristidem Leonori equitem**, commentarii *Vox Urbis* possessorem et administratorem, **Romam, via Alessandrina, 87**.

A SECRETIS.

Desclée, Lefebvre & Soc.

ROMAE - VIA S. Chiara, 20-21 - ROMAE

HENRYK SIENKIEWICZ

## ANDIAMO A LUI

NOVELLA STORICA DEL TEMPO DI CRISTO

In Italicum sermonem recens convertit  
Henricus Salvadori Litterarum Doctor

Perpolitum volumen in-8, ven. Libell. 0.50

*Nuperrime prodierunt*

## CONSTITUTIONES LEONIS XIII

SUPER

## IUBILEO UNIVERSALI ANNI MDCCGC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS  
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiariae officialis.

Ven. lib. 1

*apud commentarii VOX URBIS Administratorem.*

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50

## FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

*Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

## URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,  
venit singillatim L. 2.50

*apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

## PHILIPPUS VITI EQUES

MARMORARIUS

ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT  
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA  
AEDICULAS

uti patet ex operibus erectis ac refectis  
in Basilica Lateranensi,  
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,  
Eudoxiana, etc.

## T. G. Fratrum PARISI CANDELLARUM AD SACRA OPIFICIUM

PRAEMIIS INSIGNE

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium  
recognitionibus publice  
habitis maxima re-  
lata munera.

LEO PP. XIII  
honores addidit

Lateranensi Archi-  
basilicae, itemque Va-  
ticanae, quoties de Bea-  
tificatione aut de Cano-  
nizatione solemne sit.  
suppediat.



Praecipua Templa  
cereis instruit ubique  
terrarum. In Asiam,  
Africam et urbem Con-  
stantinopolim mittit  
ingentia rerum huius-  
modi pondera, pretio  
francs 190 pro singulis  
100 Chilogramm.

Si vero ab America  
aut ab Australia petantur  
onera (300 Chilo-  
gramm. ad minimum),  
pretium erit francs 225  
pro 100 Chilogramm.

Nullo impendio iubentium  
res in proximiorem a petentibus designatum portum desertur

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur

Cuivis quaerenti explicatio erit uberior.

## LE LAUDI LATINE

## IL CANTICO DEL SOLE

DI SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro  
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latine cum interpre-  
tatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita,  
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem  
proxime alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* compa-  
randam, Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima  
editit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit  
L. 0.50, in pauperum levamen.

## Ciapponi Franciscus et Soc.

### OFFICINA

### ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE